

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**D. Lavrentii Heisteri Profess. Pvbl. Helmstadiensis
Academ. Caesar. Regiae Lodin. Ac Berolin. Collegae
Compendivm Anatomicvm Totam Rem Anatomicam
Brevissime Complectens**

Heister, Lorenz

[Norimbergae, [MDCCXXXII.]

VD18 90513150

[Explicatio Tabvlae Qvartae.]

urn:nbn:de:gbv:45:1-9958

quas huius caussa dissecuimus. Conf. quæ de hoc argumento Nota (51*) dicta sunt.

Fig. 20. Exhibit LINGVAM HUMANAM, cum tribus eius tegumentis, quæ, si recte memini, nusquam adhuc delineata sunt. ^{a)}

AAAAA Superficies superior linguæ, in qua eminentiæ papillares capitatæ & pyramidales undique in conspectum prodeunt.

B Tunicæ exterioris frustum, separatum a reliquis, & reclinatum, in qua papillæ nerveæ innumeræ in conspectum prodeunt, interiori eius superficie adhærentes.

CC Tunica secunda linguæ, *corpus reticulare Malpighii* dicta; per cuius foramina papillæ nerveæ ex tertia ad primam sive extimam transeunt.

D *Corpus reticulare*, a subiecto tertio involucro separatum & reclinatum

EE Membrana, sive *corpus papillare nervosum*, in quo innumeræ papillæ eminent, quæ ex hoc corpore, per membranam reticularem, ad tunicam extimam, transeunt.

FF *Glandula lingualis*, ut & papillæ anterioribus longe maiores, in posteriori linguæ parte conspicuæ: nunc plures, nunc pauciores.

G Foramen, quod in posteriori linguæ parte sæpe occurrit, figuræ incertæ & dubiæ: modo rotundum, quandoque triangulare, alias ovale, de quo vide plura Nota (56*)

Fig. 21. iam in Tabulæ secundæ explicatione exposita est.

EX-

^{a)} Reperi postea, quod apud Bourdonum Tab. V. fig. 12. hæc iam delineata sunt; sed magnitudine naturali maiora.

EXPLICATIO TABVLAE QVINTAE.

Fig. 22. Ostendit membrum genitale virile a facie superiori; cuius venæ & substantia cavernosa, singulari & eleganti modo, argento vivo ita a me repletæ sunt, ut egregie & melius in conspectum prodeant, quam eas antea unquam vidi, aut delineatas usquam reperi: quod membrum adhuc ita præparatum asservo.

A Venæ penis truncus, in quem mercurium, pertusa prius valvula eius, immisi.

B **B** Venæ huius circa penis medium in ramos duos insignes divisio.

C **C** Vberior horum in plures ramos notabiles, & tandem in quamplurimos ramulos minimos, prope coronam penis, distributio.

D **D** Elegantissimus vasculorum subtilissimorum & copiosissimorum, ex minimis ramulis ortorum, inextricabilis & mirabilis cursus per totam glandis superficiem, tortuosis & flexuosis gyris, ad intestinorum aut vasculorum seminalium in testiculis similitudinem; quæ adeo numerosa sunt, ut tota glandis superficies ex meritis minutissimis vasculis constare videatur.

e e e e Vasa quædam minora, maiora & maxima, multis in locis scandentia, amplectentia sive superequitantia.

F. Finis urethræ, per quam urina exit.

G. Funiculus, quo post expletionem penis pars posterior constricta est, ne mercurius facile effluat.

H. Pars

